



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 139. Judices a Rege assignati, & a Condæo Principe rejecti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

cipes deinceps sibi temperaret, admo-  
nebat, hisque liberius subjungebat, Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
quod hæc plaga diu sanguinem stilla-  
tura esset, nec cuiquam unquam bene  
vertisset, qui Principes Regio sanguine  
ortos prior laceffivisset. Attamen res  
haud amplius integra erat, sed jam  
pene confecta.

§. CXXXIX.

*Judices a Rege assignati, & a Con-  
dæo Principe rejecti.*

Enimvero ex Senatu Rex Christopho-  
rum Thuanum Præsidentem, Bartho-  
lomæum, & Jacobum Violam Senato-  
res, necnon Stephanum Burdinum Re-  
gium Advocatum, ac Joannem Tilium  
Curiae Proto-Notarium accersivit, qui  
una omnes cum Hospitalio Cancellario  
die decima tertia Novembris Condæum  
Principem adiere, hic vero coram eis  
comparere renuens causæ suæ cogni-  
tionem non ad ipsos, sed ad Senatum  
Parisiensem coram Rege tanquam Præ-  
sidente, ac Regni Patriciis, convocatisque  
totius Curiae Ordinibus pertinere aje-  
bat. Percepta Condæi repugnantia  
Regis Senatus eidem declarabat, quod  
tunc, nisi coram Judicibus a Rege da-  
tis responderet, pro convicto, ac læsæ  
Majestatis reo haberetur, ac nihilomi-  
nus interea testes exciperentur, revisis-  
que

*Thuan. l. 26.  
Mem. de  
Castell. l. 2.  
cap. 10.*

Sæcul XVI  
A.C. 1560.

que eorum testimoniis coram ipso producendi essent: cum vero Condæi Principis uxor Guisiorum opera Maritum suum Judicum sententiæ subjici cerne-  
ret, Regi libellum supplicem porrigens obtinuit, ut Marito suo duo Advocati inter Senatores celeberrimi darentur, quorum consiliis uteretur. Nominabat autem Rex ad hoc munus Petrum Robertum, & Franciscum Marillacum: porro Condæus non nisi moras nectere intentus postulabat, ut prius, donec responderet, sibi cum uxore sua, Navarræ Rege, & Borbonio Cardinale fratribus suis colloqui gratia fieret, adhibitis tamen iis, quos Rex vellet, testibus, & arbitris: ast eidem duntaxat concessum, ut per literas cum illis agere posset: dein omnes ejusdem famuli ab eo discedere jussi, neminique illum adire permissum fuit. Ceterum Guisius Dux, & Cardinalis ejus frater Condæum damnare decreverant, quin discuterent, utrum hac in re æquitatis leges transgredierentur, vel observarent.

## §. CXL.

*Guisiorum consilium de Navarro clam trucidando coram Rege.*

*Thuan. l. c.*

Porro iidem Guisii Principes pariter Navarræ Regem in criminis partem pertrahere nitebantur: verum majoris molli-